





DE 1704, 10<sup>t</sup>, 213.  
5  
**EXTRAORDINARIA**  
**CITATIONE** 12  
DIVINIS AVSPICIIS  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

**V VILHELMO HENRICO**

SERENISSIMO SAXONIAE DVCE  
AC PRINCIPE IVVENTVTIS

P R A E S I D E

**IO. PHILIPPO SLEVOGTIO, IC.**

CONSIL. SAX. ET ANTEC. FAC. IVR. H. T.  
DEC. EIVSQ. ET SCABIN. SENIORE,  
CVR. PROV. ADSESSORE

P V B L I C E D I S P V T A B I T

**FRID. HARTMANNVS FISCHER**

DVRLACO-BADENSIS

A. D. JANVAR.



IENAE M D C C IV

---

TYPIS NISIANIS EXCVDEBAT

HENRICVS BEYERV.

EXTRAORDINARIA  
CITATIONE  
DIVINIS AVSPLICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO  
ARCHIATRICO  
SEPTENARIAM SAKRAMENTARIAM  
AD PRATICARIA  
KAVASCHI  
CONSELIO ETATANAGI TECUWANTH  
DEC. FIASCO ET SOCIIS DILECTORI  
CLV. TROY ABSKUR  
ERID. HARMANNUS REICHE  
DARVOG GABRIELIS  
A. M. 1700.  
IENAE MDCCIA  
THIS MIZYNS EXCADEBAT  
HENRICAE ELLIOTAE.

SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
**F R I D E R I C O**  
DVCI SAXONIAE, IVLIACI, CLI-  
VIAE AC MONTIVM, NEC NON  
ANGARIAE ET VVESTPHALIAE,  
LANDGRAVIO THVRINGIAE,  
MARCHIONI MISNIAE, PRINCIP  
COMITI HENNEBERGIAE, CO-  
MITI MARCAE ET RAVENSBER-  
GAE, DOMINO RAVENSTEINII  
ET TONNAE

P R I N C I P I  
PIO, FELICI, INCLYTO  
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO;

SERENISSIME PRINCEPS

PRINCEPS

A C

D OMINE CLEMENTISSIME.

H R I D E R I C O

DACI SAXONIÆ, ITALICÆ, CLT-  
AIVE AC MONTAVÆ, NRC NON  
UNGVITÆ ET AVESTPHVITÆ,  
LANDGRAVIO THARVINGIAE  
MARCIIONI MISNIVÆ, PRINCIPÆ  
COMITI HENNBERGIVÆ, CO-  
MITI MARCVÆ ET RAVENSERI



PECIMEN leuidense meæ  
in iure scientiæ, idque de  
extraordinaria citatione, v-  
ti moris in academiis est ,  
instituta disceptatione pu-  
blica, datus, hoc mihi  
curæ præcipue incumbere credidi , quo po-  
tis-

tissimum nomine tantillum operis illustrare.  
tur, quoque animatus rem arduam alacrior  
aggrederer, eruditam in arenam spe maiore  
descensurus. Ingratissimus autem forem  
hominum, PRINCEPS SERENISSIME,  
si quam beato parenti meo, quam mihi, to-  
tique Fischerianæ familiæ, exhibuisti semper,  
& tanto Principe vere dignam adhuc præstas  
gratiam, imis medullis sic infixam non habe-  
rem, ut quotiescumque eam prædicandi laudi-  
bus sese offert occasio, eam publice non  
prædicem. Nemini igitur potius, quam  
TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, quid-  
quid hoc est vmbriticci meditamenti inscri-  
bere, & ita publicas agere gratias debui. Ac-  
cipe id propitia fronte, & qua coepisti inæ-  
stimabili bonitate, me vterius fouere perge.  
Sic D E V M T. O. M. pro incolumitate  
T V A , T V A E Q V E Domus Serenissi-  
mæ, humillimis defatigabo precibus, quo T E,

( 2 ) Prin-

Principum Decus, Patriæ fulcrum & deli-  
cium, diu sospitet, vt terræ tuæ, sub TVA,  
clementissimi Patris patriæ, tutela, dulcique  
regimine, felices sint ac beatæ.

SERENITATIS TVAE

clientum deuotissimus

FRIEDR. HARTMANN FISCHER.



N vniuersum citatio omnis, siue vocatio ad iudicem, vel est ordinaria vel extraordinaria: quarum illa regulariter; hæc certis duntaxat casibus locum habet. Ad priorem tria ista requiruntur: ut fiat solis verbis; ut priuatim, licet publica auctoritate; ut sine subdicio alterius magistratus. Extraordinaria igitur citatio est, quæ aut non solis verbis fit, aut fit publice, aut vocato in subsidium magistratu alio.

Nascitur hinc triplex distinctio citationis. Primum enim aut fit *verbis tantummodo*, aut simul *re ac fablo*, siue comprehensione, quando reus videatur ad iudicem. Deinde aut fit *priuatim*, aut *publice*. Tertio citatio aut *mediata* est, quæ *subsidaria* quoque vel *requisitoria* vocatur; aut *immediata*.

Verba vel *ore* proferuntur, vel consignantur *litteris*: quod commune est tam *publicæ* quam *priuatæ* citationi. Ore seu viua voce, & quidem

A

pri-

priuatim, citatur quis per apparitorem; publice per præconem. Lege v*ii* *De restitut. in integr.* Vnde hæc *proclamatoria* citatio dicitur; et præco *vox legitima*, sive potius, ut Græca verba habent, *vox legis*, in Nouella LXIX, cap. 3. Adeantur notæ Gothofredi patris ad Nouellas, & Asconius Pedianus commentario in tertiam Verrinam Ciceronis. Vulgo id genus citationis vocant *Proclama*, ad imitationem Græci soni in *poema, programma*; sed barbare inepitque, ut alii monuere. Scripta citationio publica peculiari nomine *editalis*, sive *editulum* vocatur, lege xv, §. 2 & 3 *De iure fisci*.

Verbis præterea, & priuatim quidem, ita citationio fieri solet, vt aut ipsi vocando, aut absentis familiæ, apparitor significet mandatum iudicis, litterasve citationis exhibeat; aut si nemo ex familia etiam adest, has valuis ædium affigat. Citatio præsentis dicitur *personaliter* fieri, sive *in personam, in faciem*; absentis, *ad domum*. Lege i, S. 1 *De agnosc. vel alend. lib. Clementina De foro comp.* Atque hæc posterior, nisi scripta exhibeatur, tam clara voce peragi solet, ut vicini etiam exaudire possint.

Quod ad citationem, quæ scripto fit, attinet, variæ illius quoque sunt species. Quædam enim est *formalis*, formaliter sive diserte aliquem com-

p*as*

parere iubens; quædam *virtualis*, quæ tacite idem facit. Puta si quis facere aliquid ad certum diem iubeatur, quod constat in iudicio fieri deberre. Non itaque pertinet huc *mandatum iudicis*, quo quis facere aliquid prohibetur: nec quo tale quid iubetur, quod necessarium non est in iudicio fieri. Quamquam istiusmodi mandata, si clausulam *inflatoriam*, ut vocant, habeant, in citationem solent resolvi. Quod huc non pertinet.

Alia porro citatio iniungit necessitatem comparandi; vnde vulgo *arestatoria* aut *coactiva* dicitur: alia, quam *monitoriam* appellant, significat tantummodo, acutum aliquid iri, quod ut citatus agi videat, ipsius interest; de cetero tam adversario quam iudici perinde est, licet citatus non veniat in iudicium. Sic debet reus comparere, si citetur litis suscipienda causa: pro arbitrio se sistit, si producendi ab actore testes, si publicanda sententia.

Tertio quædam citatio *personalis* dicitur, id est, personam stringens; qua quis iubetur ipse in ius venire, denegato arbitrio procuratorem mittendi: quædam in arbitrio citati collocat, ipse an per alium comparere velit.

Quarto alia citatio continet comminationem poenæ, alia non est *poenalis*. Quo potest referri

primario distinctio in *simplicem*, sive *dilatoriam*, ac *peremtoriam*. Hæc enim non patitur amplius tergiuersari citatum; sed nisi se fistat, contumacem expensis multat, tandemque absente eo cognitum ac pronuntiatum iri comminatur. Altera simpliciter concipitur, sine denegatione vltioris dilationis, atque etiam sine poena. Lege LXX & LXXI *De iudicis*. Apud quosdam mentio fit citationis *inchoatiæ* & *noninchoatiæ*: illamque appellant primam, qua quis in ius vocatur; reliquæ nec *inchoatiæ* sunt.

Tandem distinguitur verbalis citatio in *generalem* & *specialem*, sed bisario significatu. Nam vel ad *citandos* respicitur, vel ad *caussam*. Illic generalis citatio appellatur, qua vocantur in genere omnes, quorum interest: *specialis*, qua Mævius aut Sempronius, certum collegium, certa vniuersitas citatur. Respectu *caussæ* citatio generalis est, quæ semel fit ad totam *caussam*; *specialis*, quæ fit ad actus singulos.

Quid *priuata*, quid *publica* citatio sit, facile intelligitur. Illa eo fit ritu ac fine, ut paucis ipsam sufficiat innotuisse; hæc contrario modo se habet. Quinam sint modi vel publice vel priuatim citandi, ex iis, quæ de verbali citatione diximus, constabit. Neque enim aliter quam verbis *priuatim*

tim aut publice quisquam proprie loquendo so-  
let citari. Si quis comprehendatur, & vi produ-  
catur in iudicium; vix quidem potest fieri, quin  
id publice innotescat: sed is scopus tamen non est  
violentæ ductionis, neque aut vox præconis aut  
edictum simul adhibetur. Potest hinc cum qui-  
busdam primario ad priuatam citationem referri.

In *subsidiaria* siue *mediata*, vel rogatur alius ma-  
gistratus, vt ipse iubeat citatum certo die se siste-  
re, vel transmittuntur litteræ citationis, utque ma-  
gistratus curet, easdem alteri reddi, petitur.

In Clementina 11 *De poenis* mentio fit etiam ci-  
tationis, quæ ab homine fit, & alterius, quæ a in-  
re. Illam putauerim esse, quando iudex ipse ali-  
quem vocat, constituto die certo, quo in iudicium  
veniat. Posteriorem, quando a lege quis non  
nominatim quidem, sed tacite in iudicium voca-  
tur: dum præfinitur tempus certum, intra quod  
forte significare debet, paratum se iurare; aut in-  
tra quod est iurandum.

Quod de citatione per *campanam* aut *tuba* so-  
nitum aliqui monent, non est huius loci. Neque  
enim ista usurpatur, nisi in caussis publicis: quan-  
do conuocanda vniuersitas aut etiam collegium;  
vel tributum soluendum; et quibusdam locis, in  
caussis criminalibus. Quod de Tubinga testatur

A 3

Lau-

Lauterbachius. Videatur quoque lex x De publ. indic. & ad eandem Cuiacius Obs. xx, ii, vbi de citatione per buccinam.

Habet citatio extraordinaria, tam publica quam priuata, ex notissima de extraordinariis remediis regula, tum demum locum, si ordinaria aut profusa fieri nequeat, aut non cum effectu necessario. Lege xvi De minor. Ideo autem extra ordinem solum locus datur citationi tum reali, ut vulgo appellatur, tum proclamatorie & edictali, quod realis speciem executionis habet, quodque tam illa quam reliqua, licet infamiam aut labem cuiquam per se non adsperrant, coniunctae tamen sunt cum imminutione quadam existimationis.

De comprehensione res manifesta est. Quæ etiam citatio fit per proclamationem, quæque per edictum, quoniam incurunt in oculos hominum, atque innotescunt palam, causam utique rumoribus præbent. Hinc vulgo edictalis citatio remedium exorbitans vocatur. Ad quam hoc insuper accedit, quod moribus nostris plus apparatus & impendii requirit, quam reliqua species. Quamquam certis casibus nec citatio realis sine apparatu est ac sumtu maiore.

Ceterum quoniam existimationis respectus potissimum facit, ut isti citandi modi pro extra-

ordinariis habeantur: statim appareat, contra homines malae famae facile locum inuenturos. Quin quoniam moribus receptum est, ut id genus homines, itemque fugitiui ac latitantes, aut comprehendantur, aut voce praconis edictove citentur: tanto cautius in vocandis aliis idem debet fieri. Quod si id negligatur a iudice: non citatio modo nulla est, atque irrita, sed locus quoque appellacioni datur ob contumeliam. Videatur Meuius De cisi. 1, 253, &c 14, 361. Carpz. Proc. VII, 4, 1.

Quare ne temere alium laedat iudex, & sibi facessat negotium; e re ipsius fuerit, prudentes in consilium antea vocare. In citatione, que cum comprehensione fit, hoc frequentissimum est. Edictalis ne quidem in concursu creditorum sine sententia collegii iuridici facile usurpatur. Carpz. d. l. num. 7. Suend. ad Proc. Fibig. pag. 97.

Voce praconis, siue proclamatione publica, citantur tam personæ certæ quam incertæ; modo illæ aut latitent, aut hinc inde vagentur. Sed variat eius usus, pro loci cuiusque consuetudine. Tantus certe non est, quantus citationis edictalis: quia vox praconis paucis innotescit. Qua de causa in authentica Qui semel. Codice Quomodo & quando iud. sent. actor contumax, siue qui litem differt prosequi, edictis citari iubetur.

So.

Solet vero prior illa subinde in ecclesia etiam, certis tamen casibus in cathedrali solum, per sacerdotem fieri. Exemplum est in Clementina *De foro competente*. Præcipue usurpatum in vocando *desertore coniuge*: hocque casu moris est, edictum citationis & recitari e suggestu sacro, & publice affigi. Carpz. Iurispr. consit. lib. III, def. 63, 4. Quanquam posterius haud necessarium est. Vanius De nullit. sentent. ex def. citat. n. 121.

Præterea usus proclamatoriaæ citationis in *contrahendis matrimonii*. Iussit enim Innocentius III pontifex, cap. III *De clandes. despons. matrimoniis per presbyteros publice proponi, competenti termino prefinito: ut intra illum, qui voluerit, esse valuerit, legitimum impedimentum opponat*. Vocatur citationis hæc denuntiatio, item bannum. Quod quum initio moribus solum receptum esset in Gallicana ecclesia: ex concilio Lateranensi, sub dicto Innocentio, in ius commune transiit. Videatur Alfersa in Pontificis huius Decretales, cap. XXVII *De sponsis* & cap. III *De clandes desponsis*.

Facile constat, vt edictali citationi locus sit, non sufficere, abesse citandum, & quidem extra territorium ius dicentis, ac forte etiam domicilium fixum non habere. Modo enim certum sit, vbi nam commoretur, tentanda prius est priuata ci-  
ta-

tatio, per litteras subsidiarias. Nou. cxxxiv cap. 5, Carpz. Proc. vii, 4, 23, & Defin. for. 1, 2, 29. Hinc si quis abierit vel aufugerit quidem, sed postea loco certo commoretur: pro fugitiuo non amplius, multo minus pro vagabundo habendus, nec edicto vocandus est. Meuius Decis. 1, 253.

Itaque, ut posterius fieri possit, requiritur, aut nesciri, vbinam locorum agat citandus, aut fruſtra eum priuatim citari. Nescitur, si vel latitet prorsus, vel hinc inde vagetur, nullumque certum habeat commorationis locum. Gail. Obs. 1, 57, 4, Græuæus lib. 1, concl. 57, 20, Carpz. Proc. d. l. §. 2. Neque refert, vtrum reus an testis sit, qui latitat aut est vagabundus. Ruland. De commiss. part. 1, lib. 5, cap. 3, lit. g.

*Fruſtra quis citatur priuatim, vel sua vel magistratus culpa, vel aliud ob impedimentum. Sua culpa; qui facit, impedit vel procurat per se vel per alios quoquomodo, ne ad eum possit citatio peruenire.* Clem. i De iudiciis. Quo calu tamen tunc demum opus esse edicto arbitror, si nequeat citandus dolи conuinci. Nam de cuius dolo constat, merito pro contumace habetur, ac ne priuatim quidem citari amplius debet. Si, exempli causa, palam non admittat nuntium; si non accipiat citationem oblatam; si acceptam reiiciat; si prohibeat,

B

beat,

hibeat, ne affigatur portæ aut valvis ædium, aut  
in loco patente reponatur: vel si talia curet fieri;  
& ea fecisse aut curasse, per nuntium iuratum, a-  
liove modo reuincatur.

Neque tunc obstat quidquam, quo minus et-  
iam definitiua sententia feratur. Carpzouius Resp.  
111, 23, & in Proc. d. l. num. 24 & sequ. Quam-  
quam non est dubium, quin istis casibus vocari  
quis per edictum queat, si ita videatur iudici: ne,  
que enim est, quod citatus de iniuria sibi facta con-  
queratur; et minus negare postea poterit contu-  
maciam. Aduersus nuntii quippe aut aliorum te-  
stimonium probatio in contrariam partem admit-  
titur. Mascard. De probat. vol. 11, concl. 1091,  
num. 10. Ac subinde, ad præscindendam omnem  
effugii occasionem, consultius est, edicto adhuc vti.  
Perillustris Baro de Lyncker Decis. C.C.

Culpa *magistratus* frustra quis priuatim citat-  
tur, si ille iniuste auxilium deneget, nolique  
reum, aut quisquis vocatur, sistere se iubere. Lau-  
datus Baro de Lyncker Decis. C C X L I I I . Qua-  
in re sufficit quoque iusta præsumtio, denegatum  
iri auxilium. Puta, si apertus sit hostis, vel alia ad-  
sint argumenta. Hinc ne eludatur citatio, moris  
est in Camera Imperiali, ut per edictum vocen-  
tur, qui Romano Imperio non subiecti sunt. Gail.  
Obs.

Obs. i, § 6, 7. Opus vero est hoc remedio in diversis rebus publicis. In eodem imperio ad officium compelletur inferior magistratus, superiore adito.

Quando iniuste auxilium denegetur, non semper est liquidum. Notabile exemplum exstat in Decisionibus Lynckerianis, numero D C C L V: ubi de aduocatis partium extraneis, & de alterutra parte extranea, si iudicem in iudicio iniuriis affiant, agitur, pariterque litigantem partem citari posse in subsidium, docetur. Carpzouius Resp. v i, 97, cum Maranta contrariam tuetur sententiam: ne duo specialia concurrant, iudexque non in causa modo propria, sed in eum etiam, qui iurisdictio suæ non subiectus est, ius dicat. Quo efficitur, ut tunc solum puniri extraneus aduocatus possit, si non ipsum iudicem, sed aduersam partem iniuriis læserit. De quo egerat Respons. i i, 27.

Postremum impedimentum est, si citandorum domicilia sive loca non possint tuto libereve adiri. Clement. De iudic. & De foro compet. Ut si quis apud hostes aut rebellis degat; si potentior aliquis ex causa odiosa sit citandus; si pestis alicubi grassetur. Gail. i Obs. § 7, 2, Græu. d. l. num. 28.

His igitur casibus etiam illi, de quorum nomine, statu & conditione, quantum satis est, con-

stat iudici, possunt extra ordinem edicto citari.  
Ast quorum ne nomen quidem noscitur, & vtrum  
plures vel pauciores sint: in his vocandis tam ne-  
cessarium est extraordinarium remedium, & qui-  
dem edictum, vt nec præconis vox, nisi certis ca-  
sibus, sufficiat: paucioribus enim hæc, vt diximus,  
innoteſcit.

Atque adeo receptum est, vt solam ob *multi-*  
*tudinem* vocandorum, licet de singulis constet, aut  
constare facile queat, illud adhibeatur. Siue quia  
non est, quod quisquam existimationi suæ inde  
metuat; siue etiam, vt labori ac sumtibus parca-  
tur. Græu. n. 16. Carpz. Proc. d. l. num. 34.

Edictalis igitur citatio locum habet, si posses-  
sor rei incertus sit; si concursus creditorum oriatur;  
si heres deliberans de adeunda hereditate, & in  
conficiendo inuentario occupatus, nosse cupiat,  
quantum sit æris alieni, & quo iure quisque credi-  
torum nitatur; si vendenda sint bona debitoris  
sub hasta, aut priuatim etiam emantur; si quis ca-  
strum emat vel prædia, securusque esse velit de  
evictione.

Vocandi tunc omnes quorum intereft, quique  
ius aliquod in bona prætendunt; & quidem uni-  
uersali edicto: partim quod incerti, partim etiam  
quod numero plures sunt. Idem dicendum, si  
com-

complures administratores vnius rei ; quin si lis cum vniuersitate , nondumque constituti syndici fuerint.

Illud tamen istis casibus obseruandum : quoniam fieri potest, si in genere multitudo citetur, ut etiam pupilli ac minores intersint : nominatum horum faciendam esse mentionem; non singulorum quidem, sed vniuerse. Alias non intelliguntur citatione & lequente sententia comprehensi. Consule Gail. 1 Obs. 57, 6 sequ. Graeu. num. 17 Mynsing. Obs. 11, 47, Carpz. Proc. §. 3.

Ex hisce cognoscamus licet, usum edictalis citationis esse in caussis tam ciuilibus quam criminibus. Atque in his quidem ex eo capite, quod reus aut latitat, aut hinc inde vagatur, adeoque nescitur, cuiusnam magistratus auxilium sit requirendum.

Par ratio in malitiosa desertione. Carpz. Jurispr. cons. 111, 62, 11 & sequ. Quamquam citari etiam editio potest, qui quæve sine malitia, sed ex honesta caussa, aut forte vi raptus, raptave, aut ex mentis alienatione diu abest, dum interea, quo peruenierit ignoratur. Nam magis tunc consulendum conscientiæ alterius coniugis, nouum matrimoniū quærentis. Decis. Lynck. MCXXI.

In ciuilibus plerumque vel incertum est, quis-

nam citari debeat, vel numerus citandorum est paullo maior. In concursu creditorum interdum & debitor, si vbi locorum reperiatur, haud constet, per edictum citatur. Decis. Lynck. CCLIX.

Quod in caussis criminalibus ad delicta attinet, ob quæ decernenda edictalis citatio, sufficit ea relegationem, licet temporaria in duntaxat, mereri. Quæ poena interdum aduersus stupratorem quoque locum inuenit: atque hinc & locus edictali citationi. Ordinarie alias contra stupratorem non decernitur, quamvis petente muliere: maxime, si ille pro fugitiuo haberi vere nequeat, & insuper stuprata destituatur probationibus, sola innitens iurisiurandi delatione. Decis. Lynck. CCCCXLIV & DCCCCLXXIII.

Sive in modum inquisitionis solum, sive per accusationem ad bannum agatur, usum habet edictalis citatio; sed stilo diuerso. Illic comparere iubetur reus, ut respondeat iudici, articulos certos interrogatu, tandemque, ut audiat se ob contumaciam, tanquam confessum & conuictum, condemnari: posteriore casu iubetur comparere, accusatori responsurus; postremoque, ut audiat se proscribi. Quæ proscriptio barbare quidem, sed significantius tamen, *bannum* appellatur. Ad quod procedi nequit, si delictum, cuius reus factus est

pro<sub>2</sub>

profugus, ad poenam mortis contumaci dictam non sufficiat; aut plurium delictorum suspensus, in eo iisve, quod quæve extremum supplicium merentur, non satis sit indicis grauatus. De cetero iis etiam casibus, quibus haud dubie procedi ad bannum potest, consultius interdum est, crimen sola inquisitione persequi. Cui conformanda est edictalis citatio. Videatur Dominus baro de Lync-ker Decis. CXL & CCCCLX.

Vt ad ipsam formam accedamus, omnia editum continere debet, quæ priuata citatio litteris consignata. Carpz. Proc. d. l. num. 37. Iubetur in eo citatus comparere, & caussam vel testimonium dicere, aut ius suum proponere ac probare, addita comminatione, pro diuersa ratione negotii, quod agitur. Gail. d. l. num. 7. Spatium temporis, intra quod compareat citatus, legitimum sit oportet, nec vel dies deficiat. Carpz. Jurispr. cons. III, 64, 8 & sequ. Praxi crim. CXL, 64. Olim in foro Saxonicus per *tria* quatuordecim dierum interualla citatio repetebatur: hodie tempora illa in vnam coniunguntur, quæ *peremptoria* appellatur. Carpz. Jur. cons. d. l. def. 61. & 64, Praxi crimin. d. l. num. 62. Ceterum, tametsi tria illa, quæ in peremptoriæ commutata est, citatio, apud Saxones non amplius usurpatur: peremptoria tamen sex heb-  
do-

domadas continens cum tribus diebus, si emanserit  
citatius, iterum iterumque solet repeti. Et in pro-  
cessu banni primum iubetur reus comparere, addi-  
ta solum generali monitione. Vbi contumax fue-  
rit, sequitur altera citatio, quæ comminatur reo,  
denuo emansuro, poenam contumaciam. Hac quo-  
que citatione frustrata, publicatur tertia, mo-  
nito reo, fore, ut pro confessu & conuictu habe-  
tur, nisi comparuerit. Siue, quod grauius est, iube-  
tur comparere, seque legitimis impedimentis di-  
strictum fuisse, probatum dare. Germanice ap-  
pellamus *Ehebatten*. Vbi rusum emanserit reus,  
neque probauerit dicta impedimenta: pro confes-  
so tandem & conuictu habetur, proscriptiturque;  
damnatoria sententia itidem in tribus diuersorum  
dominorum territoriis publice affixa.

Hoc in prouinciis Saxoniciis hodie obtinet, o-  
limque obtinuit in Electoratu. Aliud tamen post-  
ea Lipsiensibus Scabinis, referente Carpzouio pla-  
cuit: ut reus, si ex actis constet de citatione prima  
rite facta, in altera statim iubetur probare impedi-  
menta legitima. Theod. Crimin. x1, 4, 50, Carpz.  
Praxi crim. CXL, 74, Dec. Lynck. MLXXVIII.

A citationibus istis diuersæ sunt ceteræ edicta-  
les citationes, pariter in tribus distinctis territoriis  
affigendæ: quibus toties vocatur reus, quoties pu-  
blican-

blicanda sententia. Cautela tamen hac vtuntur aliqui, vt prioribus citationibus statim inserant terminum sententiæ publicandæ. Consulatur Praxis criminalis, siue *Anweisung zum Inquisition vnd Achts-Proces*, quæ Altenburgi prodiit, p. m. 353, 354, 355, 358, 362 & sequ. Quin & interdum obserues, vbi ferunt circumstantiæ, non tantum omitti processum banni, licet locum habeat; & in crimen sine accusatore inquire; sed ipsas edictales citationes ita constringi, vt singularum, quibus alias opus erat, termini in vnam compingantur. Decis. Lynck.

CCCC LX.

Illud peculiare est in genere hoc citationis, quod ea non traditur citato, aut vlli ex familia eius, sed propria fiaue *affigenda* est in loco publico: cuius generis sunt curiæ & templa, vnde conspici ac legi ab omnibus potest. Neque enim sufficit *recitatio*: sicut nec ea opus est, nisi aliud vsu obtineat. Græu. lib. i. concl. 57. confid. i. Vantius de nullit. sent. ex def. citat. n. 135, Carpz. Proc. d.l. n. 37 & sequ. Sic recitatio e suggestu sacro frequens admodum, quamquam non simpliciter necessaria est, quando coniux desertor citatur; & alii cubi in concursu creditorum.

Tanta vero est affigendi edicti necessitas, vt in citanda *universitate*, ad constituendum iudicium,

C

non

non sufficiat, nec audiatur senatus vel syndicus, si nomine illius edictum accipient, aut pro publicato habitum iri promittant. Græu. concl. 57. num. 12. Affigendum etiam est edictum non apographum, sed authenticum: quod illud fidem parem non meretur. Vant. d. l. num. 136.

Licet exemplo citationis, quæ fit per præconem, recte negetur, simpliciter necessarium esse, ut edictum pluribus in locis affigatur: & quotus quisque morem in academiis receptum ignorat? consensu tamen statuunt interpres, longe id tu-tius fore, quo minus de ignorantia sua excipere cito-tatus queat. Græu. d.l. consid. 1. Certe non in Ger-mania modo, sed passim alibi receptum est, ut in caussis magni momenti, in tribus diuersorum do-minorum territoriis citatio affigatur. Carpz. Proc. d. l. & ad Const. elect. 1, 2, 29, Iurispr. cons. 111, 62, Prax. crim. CXLI, 66. Etiam hoc obtinet in de-bitore, cuius bona obœrata sunt, citando, si con-cursus creditorum fiat. Quode iam supra alle-gata Lynck. Decis. CCLIX.

De vsu Curiæ Romanæ videatur Vantius d. l. num. 130 & 133. Constat ex Gallo quoque & aliis, in Camera Imperiali tria minimum loca nomina-tim ab eo designari debere, qui citationem petit: siue id faciat in libello supplici, siue postea in ipso iudi-

iudicio: ut hoc pacto statim appareat iudicibus,  
vbinam publicandum sit edictum. Iure Electora-  
li Saxonico, si controversia de feudo sit, constitu-  
tum est, vt publicatio fiat in tribus ciuitatibus *des*  
*engern vnd vreitern Ausschusses*. Tunc enim tria di-  
uersarum iurisdictionum loca requiruntur. Vi-  
deatur *Erörterung der Landes Gebrechen*, tit. *von Ju-  
stitiens Sachen*, §. 10.

Loca hæc a domicilio citandi, aut si vagabun-  
dus est, a loco vbi frequentius versatur, proxi-  
me abesse debent: vnde scilicet verisimile est, fa-  
cilius citationem innotescere citato posse. Alias  
pro contumace neutiquam habetur. Vantius d. l.  
num. 140. Carpz. Proc. d. l. §. 2.

Publicatione hunc in modum facta, quia in-  
de præsumitur, facile totum negotium cognosci  
posse a citato, non requiritur, vt ipsum edictum  
eidem a magistratu loci, vbi forte reperitur, exhi-  
beatur: satis est, hunc scriptura, fide digna, te-  
stari de publicatione, idque testimonium actis iu-  
dicii adiungi. Requisita eius tradit Carpz. Iurispr.  
conf. III, 63, 9. De cetero necessarium est, vt in  
singulis locis affixum hæreat edictum per inte-  
grum spatum legitimum, ne tota citatio vitietur.  
Quod obseruandum tam aduocatis fisci, quam iu-  
dici: ne quod subinde fieri videmus, reus contu-  
maciæ frustra accusetur.

C 2

Vt

Vt vero dictum in modum citare quis alium possit, necessarium est, iurisdictionem habeat in eundem, sive personæ sive bonorum ratione: alias potius adeundus est iudex competens. Fundata in extraneum censetur iurisdictione variis casibus. Primum si iam inchoatum iudicium, & incidentibus nouis caussis noua opus citatione fuerit. Deinde si plures consortes fuerint, & causa connexa. Item si quis non modo contraxerit in certo loco, sed ibidem bona immobilia possideat. Argumento legis XIX, §. 1 *De iudic.* Alias enim tum demum locus contractus iurisdictionem tribuit, si reus in eo deprehendatur: secus ac in delicto perpetrato. Tandem si ratione rei sitæ aliquis actione in rem conveniatur. Lege extrema Cod. *Vbi in rem ab.* Aut si actor arestum in rebus debitoris impetraverit: hoc enim imitatur actionis in rem naturam.

Præter iurisdictionem aliqui interpretum requirunt, vt iudex etiam sit summus, non ab alio dependeat. Verum nulla reddi potest ratio sufficiens, & vsu fori tum in Germania, tum alibi contrarium receptum est. Carpz. Proc. d. l. num. 9, Vantius d. l. num. 29.

Quod porro de summo principe dicunt aliqui, absolute, ac sine citandorum & caussarum respectu, eum posse edictis vti; videatur Menoch. Conf.

Conf. c. 95; itidem idonea nulla iuris ratione firmitatur. Nam licet legislatori minus constrictæ sint manus, quam quibus leges præscribuntur: non conuenit tamen, ordinem processus bene constitutum transgredi; cum primis si in contumeliam & iniuriam aliorum fiat. Quam princeps æque ut inferior priuatis hominibus inferre potest. Quare suadendum est potius, ne temere quidquam in hoc negotio agat; quin dubia re prudentes prius consulat.

Quod ad *delegatum* iudicem attinet, non sane creditur delegans, aliam ei potestatem dedisse, quam qua ipse ordinarie vtitur, & vti debet. Constat etiam, non licere delegato ferire quemquam banno aut excommunicare: quod poenæ hæ grauioris momenti sunt. Edictalis igitur citatio quoque, vtpote exorbitans remedium, non intelligitur permissa; sed specialis concessio requiritur, nisi consuetudine aliud introductum Gail. Obs. I, 57, 14.

Atque hoc certum est de iudice, cui inferior magistratus caussam delegavit. Delegatum seu commissarium principis posse edicto citare, arguento est authenticæ *Qui semel*. C. Quomodo & quando iudex. Interpretes tamen & heic requirunt expressam concessionem. Et vnu Romanæ curiæ id obseruari testatur Vantius d. l. num. 126.

Pariter Rulandus De commiss. parté 1, lib. v, cap. 3, commissarium Cæsareum negat inconsulta Camera quenquam edicto cirare posse. Vnde restringenda sunt, quæ idem habet sequente cap. 4, 19. Addatur Hilligerus ad Donell. lib. XXIII, cap. 2, lit. H.

Vbi iam omnia recte se habent, qua cauſam, qua formam, qua citandos & qua citantem ipsum: idem inde effectus tam in criminalibus quam ciuilibus cauſis sequitur, qui ex citatione ordinaria: ut nisi comparuerit vocatus, pro contumace, & ex contumacia pro confesso conuictoque habeatur. Clementina I De iudic. Carpz. Proc. d. l. §. 5, & Iurispr. cons. III, 63, 6. Dominus baro de Lyncker Decit. CC & CCCLV.

Restringunt hoc aliqui ad cauſas minoris præjudicii: quia edictalis citatio non certam notitiam inducat. Vbi autem maius præjudicium vertatur, haud sufficere coniecturas, sed constare debere de notitia citationis. Vnde nec citatum, si non compareat, excommunicari aut beneficio priuari posse. Vide Vantium d. l. num. 141. Quæ sententia æquitatem habet. Sed spectandus tamen vbiue fori usus. Sane in banni processu, in quo agitur de rebus maximi momenti, nullum attenditū discriminē.

Ne-

Nemini interim, qui proscriptus est, ius auferatur innocentiae suæ probandæ. Nam ut vita quis priuetur, nondum vere conuictus aut confessus; sed ex sola præsumtione, quam contumacia parit; aut ex fictione iuris, quæ alias par veritati: iusta ratione ylla nequit defendi. Vide Constit. criminal. art. XXII, Gail. De pace publ. lib. II, cap. 8. Coler. Decis. I, 108. Carpz. Prax. ctim. CXL, num. 99 & sequentibus. Interim, vtrum ad probationem innocentiae, post lapsum præfiniti temporis, admittendus sit reus, & vtrum contumaciam allegatis legitimis absentia caussis purgare queat, controversi juris, & alibi contrarium consuetudine receptum esse, testatur Gaius in De arrestis Imperii, cap. x, 23.

Citatio extra territorium citantis, nulla est, nisi requiratur magistratus loci, vbi agit citandus. Quod ordinarie fit litteris. Colerus III: De proc. execut. 7, 37.

Iure communii sola domus, quam quis alicubi possidet, licet super ea litigetur, & hactenus fundatum sit forum rei sitæ, non sufficit, ut dominus ædium sine subsidio citetur. Neque enim ipse subjectus est citanti; & citatio stringere citati personam debet. Carpz. Proc. VII, s, 15, Decis. Lynck. MXXIII.

Ta-

Tametsi ius est domino directo feudi, emphyteuseos aut census, vasallum, emphyteutam, aut qui censum debet, si non petierint tempore iusto renouationem; si rem alienauerint sine consensu domini; si non soluerint canonem, aut alias dignum quid animaduersione commiserint; citare, & aduersus contumaces ferre sententiam: vbi tamen alium habuerint ordinarium iudicem, nec reperiantur in finibus domini, in subsidium citandi sunt. Decis. Lynch. D C C L X X X V I.

Si iurisdictio superiori atque inferiori iudici communis sit, quam *concurrentem* vocant, quæque *cumulative* concessa dicitur: dubium non est, quin subiectus inferiori a superiore citari possit sine subsidiariis litteris. Talis intelligitur iurisdictio, quæ simpliciter, aut iure priuilegii impertita: talis etiam in dubio præsumitur, quamuis per contrarium aut titulo oneroso quæsita sit. Franzius I Resol. 18, 2 & sequ.

Contra ea, vbi iurisdictio inferiori priuatiue data est: ius dicturus superior in caussa, quam sibi, & quatenus non referuauit, omnino litteris illis opus habet. Neque enim licet superiori, per quodcunque inferioris iura turbantur. Turbantur vero, quando id sibi arrogat, quod in aliud per abdicationem transtulit. Atque hæc in nostro Im-  
perio

perio est ratio iurisdictionis, cum quæ ab Imperatore Ordinibus, tum quæ ab his iterum valal-  
lis, aut aliis inferioribus magistratibus, concessa  
est, ac solet concedi. Colerus 11 De proc. execut.  
1, 162 sequ. Carpz. Decis. CC VIII, 2 sequ. Proc.  
II, 2, 31, & VII, 3, 53 sequ. Franzk. d. l. num. 6  
& sequ.

Si negotium ipsum, quod coram superiore iu-  
dice geritur, ita comparatum sit, ut nulla in eo  
iuris dicendi potestas inferiori competat: superi-  
or, non adito prius inferiore magistratu, id omne  
potest, sine quoconque rite expediri negotium  
nequit. Nec enim hoc casu vlla turbatur, quip-  
pe quæ nulla adest, inferioris iurisdictio. Franzk.  
c. l. num. 16. Atque hic omnino effectus est re-  
seruatæ superioritatis, ut perinde haberi debeat,  
ac si nullus plane aliis esset index. Nec opus, ut  
ad vulgatam, ex lege v C. De offic. ret. prou. re-  
gulam confugiamus: superueniente maiore ma-  
gistratu, cessare inferioris iurisdictionem. Hæc  
etenim in iis caussis duntaxat locum inuenit, in  
quibus major pariter ac minor magistratus *subor-  
dinatam*, ut vocant, vni superiori potestatem  
habent.

Tali casu igitur interdicens subiectis, ne supe-  
rioris citationi, citra subsidium factæ, pareant, nihil

D

omni-

omnino agit; neque potest, si fliterint sese citanti,  
quam iisdem dixit multam, exigere. Schilterus ad  
Pand. vii, 10.

Attamen, inquis, citatio vim obligandi ha-  
bet, facitque, ut contumax poenam incurat: vi-  
de non potest non sequi alienæ iurisdictionis tur-  
batio. Respondemus: Citatio sua natura nul-  
lam continet violentam coactionem; nec requi-  
rit præcepta & mandata poenalia: sufficit enim,  
contumacem caussa & expensis multari. Qua-  
rum exactio tum demum vim, atque hinc subsi-  
dium inferioris magistratus requirit, si condemna-  
tus eas non sponte soluat.

Quid autem, si addita multa certa; ut fieri in-  
terdum solet; a superiore iussus quis fuerit com-  
parere? Repugnat hæc citandi ratio, in Saxonia  
certe, manifesto iuri, quod contumaciam ad sum-  
mum ipsius causæ amissione vult coerceri. Ca-  
uere hinc sibi iudicem, ab ista multæ commina-  
tione, vult Carpzouius, Decisione CCIX, 14 sequ.  
Sed tamen, si contingat, superiore sibi indulge-  
re plusculum: idem statuendum fuerit, quod de  
litteris, quibus ad edenda documenta possessor  
compelli solet. Hæc etenim ex eo ipso, quod  
multam comminantur, & quoddam imperii exer-  
citium argunt; quo sane non potest non inferio-  
ris

ris magistratus iurisdictio turbari: nequeunt possessori documentorum, nisi per subsidium, mitti. Carpz. Dec. CCVIII, 16 sequ.

Ad causas reseruatas pertinent, quae consisto-  
riis, & quatenus sunt propriæ. Franzk. d. n. 16.  
In Electoratu tamen Saxonico fit citatio subsidiarie,  
aut per antistitem ecclesiæ: devitandis nempe  
ambagibus, ne obtentu citationis illegitimæ, con-  
tumaces occasionem & spatium habeant fugiendi  
iudicii. De cetero in citationibus istis nulla fit ex-  
pressa *subsidii* mentio. Io. Schilterus ad Pand.  
c. n. 10.

Causa per appellationem deuoluta ad supe-  
riorem, quiescere incipit inferioris iurisdictio: ut  
is hactenus ea priuatus censeatur. Haud itaque  
opus subsidiariis litteris: quum nequeat causa  
recte cognosci & componi, nisi vocatis partibus.  
Quare ut huic ipsi miscere se non debet inferior:  
ita nec debet morari eandem, litem de citations  
mouendo. Zang. De except. parte II, cap. I, 116,  
Berlich. i Conclus. 11, 14, Carpz. Proc. VII, 3, 38,  
Franzk. d. I. num. 18 sequ. Alicubi aliud pacto  
aut consuetudine introductum. Scultetus ad Mo-  
dest. Pist. II Quæst. 53, 4, Carpz. III Resp. 23, 5  
sequ. Proc. d. I. num. 39, 44 sequ.

Testimonii dicendi causa, sive in negotio ec-

clesiastico; sive in ciuili quidem, sed postquam appellatum fuit; euocatio recte fit a superiore, sine inferioris subsidio. Facit enim nexus caussarum, ut quod in principali fas est superiori iudici, idem liceat in causa minus principali. Rauchb. Quæst. I, 13, Franzk. dicta Resol. XVIII, 24 sequ. Quod si prior illa nec ecclesiastica, nec per appellationem ad superius iudicium delata sit, neque alias reservatis accensenda: par est, præscitu & consensu inferioris iudicis citationem fieri.

Quod ius Imperatori in terris Ordinum Imperii; quod his in ciuitate ac locis, in quæ aliis iurisdictionem concederunt, competit, vi referuantæ sibi eminentioris potestatis: eodem gaudent, commissarii vtrorumque. Gailius 1 Obslru. 98. Nec minus regimen & curia, aut aliud supremum collegium principis; quin & quibus hi ipsi causam delegarunt. Franzk. d.l. num. 41 & 42.

Camera quoque Imperialis & sibi, & quibus committit negotium, potestatem hanc vindicat, subiectos Ordinibus Imperii testes, in caussis, quarum cognitionem habet, sine subsidio euocandi. Nec rara huiusmodi citationis exempla; Ordinibus, qui reniti sustinuerunt, per mandata sine clausula tandem compulsis acquiescere. Saxonæ ramen Principes negant, se lege hac aut consuetudine

dine teneri; sed sartam tectamque hactenus suam  
se conseruasse libertatem. Quo de Rulandus lib. v.  
De commissariis, cap. 3, 25, Gailius dicta Obseru.  
XCVIII, Franzkius c. l. num. 42, Carpzouius  
dissertatione De non appellandi priuilegio, quod  
Saxoniz Principibus competit, thesi 29.

Si cui negotium certum vniuerse mandatum  
sit, ut quæ mandantis partes ac iura sunt, exequatur:  
præsumitur quidem tacite potestas impertita, testes  
vel circa subsidium, vel per subsidiarias litteras ci-  
tandi, pro iure mandantis. Sed tutius tamen est,  
quia commissiones stricte accipiendæ sunt, ne teme-  
re mota dubitatione, caussa protrahatur, mandato  
id diserte inseri. Quæ occasio cautelæ est, ut pe-  
tatur statim, commissario hanc potestatem con-  
cedi. Rulandus indicato lib. v, cap. 4, 21.

Qui criminali iurisdictione gaudet, quamvis  
sine potestatis prærogatiua, siue *superioritate* in mi-  
norem iudicem; idem, quod alias superior ex  
reseruatione, si citari criminis reus debeat, sibi ar-  
rogare potest. Nam habenti inferiorem iurisdi-  
ctionem, nullum in his caussis cognoscendi ius com-  
petit: & permisum maiori magistratui intelligi-  
tur, sine subsidio alieno, quocunque iurisdictionis  
suæ usus postulat. Quod & supra monuimus.  
Hinc pariter ad capiendos, & in custodiam du-

ēndos reos, nil opus inferiorem compellari.  
Carpz. i Resp. 50, & Praxi crim. CIX, 80 & 84.

Alia fuerit ratio, si minor iudex reos delictorum, quamdiu in finibus suis egerint, & ipse apprehendere per suos potest. Germani vocamus, den Angriff haben. Eodem casu testes etiam, secus quam alias fieri solet, subsidiarie citari æquum est. Decis. Lynck. CCXL I.

Sic quoque reorum custodes, qui minori iudici subiecti sunt, sine litteris subsidiariis citari haud debent. Sane pertinet hæc citatio ad peragendam securius inquisitionem: est tamen actus ciuilis iurisdictionis, & quidem alii iudici competens, vt a maiore exerceri nequeat sine turbatione finium. Capzouius i Respons. 50. Haud minus requirendus inferior iudex, vbi aufugerit reus, & eius bona annotanda, aut parentibus & cognatis, ne quidquam subsidii mittant fugitiuo, inhibendum fuerit. Struuius Exerc. XLIX, 97.

Iudex domicilii, quam habet iurisdictionem in sibi subiectum, eandem, donec mutetur illud, retinet, quounque aliquis locorum abeat. Quamdiu enim hic abest, peregrinari videtur. Lege VII C. De incotis. Neque a nexu isto liberat, nuda contestatio de proposito mutandæ sedis, aut si quis hoc agat, vt alio commigret. Requiritur, vt domicili-

micio reliquo iam naniget, aut iter faciat, alio se collaturus. Lege xx & xxvii, §. 2 *Ad municipalem.* Hinc & iurisdictio competit iudici prioris domicilii, si quis ibidem contraxerit, antequam alio cum familia abiret; licet facta mutatione, nunquam illuc reuertatur. Lege ii Cod. *De iurisdictione.*

Idem dicendum, si quis in loco domicilii delinquit: sortiri hunc ibidem forum, quocunque postea sedem transferat. Contrahi enim videtur, vbi cunque aliquis, licet non ex crediti causa, obligatur. Lege xx *De iudiciis*, principio legis iii *De re militari*, & lege i Codicis *Vbi de criminibus agi oporteat.*

Ergo citari potest reus, his casibus, a prioris domicilii iudice: maxime, vbi iam acceptum fuerit iudicium ante illius mutationem. Lege vii & xxx *De iudiciis*, lege xix *De iurisdictione.* Neque enim ad hoc vlli prodesse fraus sua debet, ut alio transferendo litem, oneroso prioris domicilii effectu liberetur.

Interim legitima requiritur citatio, cap. xix *De foro competente.* Qualis quin subsidiaria sit, non dubitatur. Verum & citari potest reus, more aduersus absentes alias recepto, in loco prioris domicilii, si aedes ibi habeat. Gaius i Obseru. 56,

Zieg.

Ziegler. ad Lancel. lib. IIII, tit. 5, §. 6. Aut & in noui domicilii loco, citra subsidiarias litteras. Hoc certe effectu, ut obligetur citatus, & contra emanentem, tanquam contra contumacem, procedi queat. Io. Bapt. Costa De remed. subsidiar. cap. XVI, 5.

Neque enim negare ille poterit, ius in se esse citanti; & excipiens de iure noui iudicis, tanquam tertii, merito non auditur. Neque par in iudice prioris domicilii, quæ in judice rei sitæ, est ratio; quamquam Gailius & huius citationem, sine subsidio factam, eatenus vult efficacem esse, ut reo contumace actor in possessionem rei petitæ mittatur. Vide Obseru. I, 56.

Ceterum, quidquid pro hac sententia dici potest; quam æquum etiam videatur Mevio, VII Decis. 390, iudicem territorii, e quo quis citatur, hac in re conniuere: quoniam tamen non defunt negantis sententiæ defensores, & nuntiis, quibus mandata, siue per litteras, siue verbis tantum fiat, citatio, periculum inde non raro procreat: præstat negotium hoc subsidiarie expediri.

Qui alibi domicilii effectus est, ratione citationis; hunc obseruare licet in Saxonia, citra respectum domicilii, tantum ex landfassiatu jure. Est enim in his terris, sicut in Bauaria quoque & Has-

Hassia, atque alibi id singulare, vt nemini liceat quid possidere sine onere subiectionis: cuius caussa etiam iusurandum, quod barbare *homagium* vocatur, iurandum est. Quandoquidem igitur ex sola possessione obstringitur quis ad subiectionem; huiusque firmamentum ac notam, homagium; licet extra territorium eius, cui iuravit, habitet: nata inde sunt Germanica illa *Landafferey* & *Landaffs.* Et *Landaffs.* est, qui ratione sui pariter ac rei, quam possidet, alienæ jurisdictioni subiectus. Wehnerus in *Observationibus*, voce *Landafferey*: quem Mundius notat, capite 11 De muneribus, n. 200, plurima ibidem ex Io. Bidenbachio, quamvis nulla eius facta mentione, ad verbum transcripsisse.

Hinc quicunque in Saxonie feudum habet, landaffiatus iure censetur. Ac licet extra illam cum familia agat; dominus feudi tamen, non se-  
cūs atque alium sibi subiectum citare potest; sine discrimine actionum & caussarum, siue spe-  
ctent bona citati, siue non spectent. Wehnerus d. I. Zieggl. ad Praxin Nic. Caluoli, §. *Landaffi.*  
concl. 1, num. 22 & 145,

Neque discriminē iudiciorum habetur, quoque alterum alteri præstat, dignitatis: vt haud minus susterre se præfecturæ debeat, qui intra huius fines bona possidet, quam regimini aut curiæ prouin-

E ciali,

ciali, qui ex prærogativa quadam iis duntaxat sub-  
est. Sola quippe, quæ ex iurata subiectionis pro-  
missione nascitur, *integro* spectatur. Mundius  
d. l. num. 201, Ziegler. c. n. 145, L. B. de Lyicker  
Decis. xc.

Quod ad nostrum institutum maxime per-  
net, nihil etiam opus est, contra absentem, tam  
subsidiaria quam edictali citatione; sed fit citatio  
aut traditur in prædio vasalli. Qui si continuo  
fuerit, adiici solet, qualis & communi iure non in-  
solens est, comminatio: fore ut feudo priuetur, ni-  
si compareat. Berlich. 1 Concl. 3, 13, Decis. Lynck.  
CLXXXV & MXXIII.

Quod si quis nec domicilium nec feudum in  
territorio, vbi landsassius obtinet, sed alibi ha-  
beat; neque præsens sic: omnino subsidiarie cita-  
ri debet. Præsens *in faciem*, ut loquimur, citatur;  
seu scripto id fiat, seu pro re nata verbis. Quod  
in *simultaneo* quoque inuestito, vbi præsens fuerit,  
locum inuenit. Absentem subsidiarie citari ne-  
cessere est, utcunque feudum, in quo simil inuesti-  
tus, in territorio fuerit citantis. Habet enim solam  
spem successionis, & quoddam in feudo radicatum  
ius, non ipsam possessionem. Carpz. II Resp. 78,  
& Process. II, 4, 54 sequ. Quare frustra citatio  
*in feudo peragitur: nisi vasallo possessori simul in-*  
*iunga.*

35

iungatur, ut suo eam sumtu reddi alteri curet  
Decis. Lynck. MXXIII. Hocque pacto restringi  
debet Berlichii sententia, indicata Conclusione ter-  
tia, num. 13.

Ex dictis apparet, ius citandi, quod ex iure  
landsassatus fluit, longe differre ab altero, quod  
ex foro rei sit. Illud enim fundamentum habet  
in subiectione, qua possessioni rerum perpetuo  
coniuncta est: alterum nulla nititur potestate in  
personam.

Vt necessaria sit subsidiaria citatio, respectu  
iudicis, in cuius finibus citandus agit, opus illi est  
iubendi & cogendi in hunc potestate. Fac igitur  
filium eius, cui perpetua & in heredes transiens iu-  
risdictione data est, a iudice domicilii, aut ubi ipse  
contraxit, e finibus paternarum iurisdictionis euocan-  
dum esse. Sane Romano iure, qui magistratu fun-  
gitur, in liberos quoque, masculos pariter ac femi-  
nas, quia munus illud non perpetuum est, gaudet  
iurisdictione. Lege LXXVII *De iudicis*. Atque id  
in magistratibus ciuitatum, qui præterea non soli,  
sed cum collegis iurisdictione vtuntur, hodie quo-  
que locum reperit. At vero, cui perpetua, & in  
heredes, instar patrimonii, transitura iurisdictione  
est, nequit hanc in filium, utpote sibi parem hacte-  
nus, exercere. Ex quo sequitur, nec requiri, ut

filium citaturus, qui ius citandi habet, patrem in  
subsidiū audeat. Modest. Pistor. I V. Quæst. 169,  
Berlich. I Conclus. xi, 18 sequ.

Quid autem, si delicti reus sit filius? Delicto  
amitti dignitatem, constat ex lege i Cod. Vbi senat.  
vel clariss. & lege XLVII. De ritu nuptiarum. Se-  
natoria intelligitur. Sed non eadem cuiusvis di-  
gnitatis, in primis nobilitatis, ratio est: tantum-  
que abest, vt solo delicto, & citra sententiam, a-  
mittatur, vt ne torqueri quidem nobilis sine spe-  
ciali principis permisso queat. Pariter nec alia iu-  
ra pereunt. Retinet igitur & filius ius succedendi  
in paternam iurisdictionem; & quatenus par pa-  
tri, eatenus huic non subiectus est. Eatenus pater  
nec exercere in eum potest iurisdictionem. Hinc  
cognitus de ipso delicto, cui alias ius cognos-  
cendi in ista causa competit, recte citat filium  
patre quamvis non compellato. Adde Berlich. d.l.  
num. 20 sequ. Carpz. Praxi crim. CXVIII, 93 sequ.

Hand sufficit, vt quæ postea in foro aguntur,  
ac decernuntur, rata sint, semel quem subsidiarie  
citari. Toties repetendum hoc est, quoties alias  
citandus quis forer, si in finibus moraretur citan-  
tis. Itaque nec sufficit, semel quempiam contu-  
macem pronuntiatum: quia post illam senten-  
tiam alia in eadem causa obuenire poslunt ne-  
gotia,

gotia, quæ nisi quis audiatur denuo, vel ex noua  
continuacia condemnetur, non recte expediuntur.  
Colerus III De proc. execut. 7, 46.

Iudice, cuius subsidio opus est, non requisito,  
prohibere licet citantis nuntium, ne peragat man-  
data; quin punire licet eundem, vbi hæc peregerit.  
Citato ipsi recte interdicitur, ne pareat citationi,  
neve posthac istos nuntios, istas citationes admit-  
tat aut accipiat. Potest tandem & cum iudice,  
qui nimium sibi permisit, agi per litteras: facta  
protestatione contra ea quæ gessit illegitime, po-  
scendoque aut petendo, ut debito iuris ordine pro-  
cedatur. Hæc omnia pro ratione circumstantia-  
rum, & quatenus ordinarius citati iudex citanti  
reuerentiam aut magnam, aut mediocrem, aut  
nullam debet. Videatur Gail. I Obseru. 56, 7,  
Meuius V II Dec. 391.

Iudex in subsidium rogatus, suo arbitratu vel  
ipse exequitur citationem, pro more antehac in-  
ducto; vel permittit, nuntium rogantis citatio-  
nem tradere citando. Interdum & iurati notarii  
opera adhibetur. Meuius IV Dec. 328.

Vtrum is, cuius subsidiaria opera expeditur,  
ius habeat cognoscendi in caussa, disceptari solet.  
Nos de citatione loquimur, qua id agitur, ut si stat  
se citatus: vbi illæ omnino rogati iudicis partes

E 3                          sunt,

sunt, ut videat, utrum iure alter euocetur. Nam occurunt subinde variae citatum non sistendi causae. Qua de re Martini ad Proc. E. S. IV, 55.

Fac enim plures, quorum aliqui alium agnoscunt iudicem, uno libello conueniri: causa interim non connexa est necessario, sed commode aduersus extraneos separatim potest agi. Hoc casu iure denegatur subsidium. Aliud dicendum, vbi causa diuidi nequit. Decis. Lynck. CCLXXVII. De reorum remissione notum est, quam plerumque difficulter impetretur.

Contingit ut & testes, ob itinerum difficultatem, aut alia de causa, nequeant euocari, & iuste sistendi se onus detrectent. Consultius igitur, ut examen, facta articulorum copia, ordinario testium magistratui committatur.

Callistratus, lege IIII, §. 6 *De testibus*, ex Hadriani rescripto, non temere euocari vult testes per longum iter: & multo minus milites auocandos esse a signis vel muneribus, perhibendi testimonii causa. Addit, ex Diuorum Fratrum rescripto: iudicantis esse, diligenter explorare, quæ consuetudo in prouincia, in qua iudicatur, fuerit. Si enim probetur; siue, quod idem est, si constet; plerumque illam euocationem, in aliam ciuitatem, solitam fieri: idem deinde sine dubitatione seruari posse;

(39) 25

posse; modo deprehendat iudex, necessarios testes  
esse in ipsa cognitione.

Ergo vbi necessarii haud fuerint, aut mos pro-  
vinciae aliud postulauerit: nec euocandi temere  
sunt, nec euocationi facile annuendum. Spectan-  
dæ potius circumstantiæ: utrum iter longius, an  
a functione quis auocetur, & quæ huius sunt ge-  
neris istam suggestura exceptionem. Schilterus ad  
Pand. VII, II. Quin & eodem in iudicio, si testis  
egregia persona, si matrona honesta sit, aut vale-  
tudine laboret, extra locum iudicij interrogatur.

Hæc in ciuilibus sive pecuniariis cauissis, quas  
Iustinianus imperator, Nouella XC, 5, vocat ἔγκληματιν. In quibus eidem placuit, ut  
fauore probationum, quia per euocationes testium,  
ex remotis locis ad locum iudicij, nimis angu-  
stentur, examen iudici, vbi degunt testes, potius  
committatur.

Aliud fieri iubet in cauissis ἔγκληματιν, sive  
criminalibus. Quoniam enim in his, magnum  
aut rei aut veritatis, periculum vertitur, & potest  
interdum ad torturam perueniri: publice expedit,  
quod & auctor dialogi De oratoribus monet,  
testimonia coram atque a præsentibus dici. Rit-  
tershusius ad Nouellas part. IX, cap. XXII,  
pag. 613.

Cete-

Ceterum veteri a statu longe abiit hodierna Imperii Romani facies: vnde & illa testes, æque ut delictorum reos, remittendi necessitas haud obtinet. Quodsi magni momenti cauſa sit, nec erui satis queat veritas, niſi reus prælente teste, quam confrontationem appellamus, interrogetur: publica utilitas omnino exigit remissionem. Quæ nec denegari iuste tunc potest; & alicubi lege publica iniungitur. Vide Richt. Decis. x.v.

In ciuilibus negotiis, postquam & multiplices, & valde confusaæ apud nos factæ sunt iurisdictio- nes, frequentari quidem cooperunt litteræ, ut no- minantur, *mutui compassus*: quibus tamen, ad mit- tendum ipsum testem, Meuius i.v Decis. C CLIX nullum vult locum relinquiri. Adeoque ne tentari quidem hanc missionem debere. Satis fore si te- stes examinet iudex, cui subiecti sunt. Sed hoc in casu spectandum, quidnam moribus præualeat.

Citatus in subsidium reus licet coram suo iu- dice excipiat, citantis forum non esse competens; & huic forte exceptioni apud eundem iudicem re- spondeat pars aduersa: nequaquam tamen libe- ratur. Nam de fori iure, vtrum illud competens sit, solus iudicat, qui suam esse iurisdictionem con- tendit. Lege II Si quis in ius vocatus, lege V & XXX De iudiciis, Meuius i.v Decis. 327. Vnde in- ter-

¶ (41) ¶

terpretationem recipiunt, quæ idem habet cap.  
xvii De arrestis, num. 7.

Denegante iniuste operam, qui in subsidium  
fuit requisitus: ius nascitur lælo, cuius interfuit al-  
terum sisti; potestque restitutionem damni, inde  
accepti, a iudice tam inofficiose petere. Meuimus  
d. n. 7. Quod remedium sicut euentu anceps;  
ita tunc demum, vbi nullum utilius adfuerit, ad-  
hibendum est.

Quare adeundus potius, si quem habet, supe-  
rior, ut ab eo compellatur. Carpz. ad Elect. const.  
1, 2, 28, & Proc. viii, 3, 16 sequ. Addi etiam so-  
let litteris subsidiariis comminatio, fore, ut par  
aliquando pari referatur. Qualem & diserte iu-  
bent alicubi Ordinationes iudiciorum. Sed quam  
iusta comminatio ea sit, & quam iuste hoc casu  
exerceatur talio; multum quippe differens a *re-  
pressaliis*, quas ordinarie vetitas constat: actor ta-  
men, vbi se moueri non patitur, qui requisitus est  
iudex, nihil iuuatur. Quocirca tandem fortiore,  
ut supra diximus, remedio vtendum est, edictali ci-  
tatione; aut per gendum, qua licet. Vide Meuium  
num. 13, Coler. De proc. exec. III, 7, 43.

Si testes non sistantur, nec ab ipso iudice roga-  
to, transmissa quamvis articulorum copia, exami-  
nentur: videndum est, vtrum nihilominus proce-

F di

di in causa possit, periculo eius eorumve, quorum culpa non impetrare licet examen. Argumento eorum, quæ habent Colerus & Meuius dictis locis.

Videndum etiam, si forte in finibus citantis deprehendatur testis. Sane qui nondum citatus fuit, habet ius prouocandi ad forum suum, utque legitime citetur, petendi: ac merito auditur, si paratum se dicat, facta subsidiaria citatione, vel si stere se citanti, vel interroganti suo magistratu respondere. Quamquam, si vltro sequatur producentem, sine vitio, nulla licet alia citatione prævia, interrogatur; docente hoc, & defendantem Meuio, v Decis. CCCII. At vero citatus iam subsidiarie, sed frustra; idque sua pariter, vel saltet magistratus sui culpa & pertinacia: iure prouocandi ad forum ordinarium nequit gaudere.

Vt forsan non comparente, qui subsidiarie citatus est, tanquam aduersus contumacem agi queat, opus est, de citatione ipsa, recte facta, ex actis constet. Certissimam fecerit fidem ipsius iudicis, qui rogatus fuerat, relatio: siue litteras hanc in rem miserit; siue testimonium apertum, consueto sigillo firmatum. Etiam nuntio rogantis iudicis iurato, si illi permitta fuit traditio citationis; aut notario publico, si sollemini instrumento de facta rite citatione testetur, fides habenda est. Nam hoc  
ib

hoc périnde videtur, ac si in territorio citantis citationem peregrissent. Gaius i Obs. 54.

Citatione facta a nuntio rogati iudicis, quamuis iurato; quia is iudici, qui rogauit, iureiurando isto haud obstrictus est: fidem quoque, nisi iuuetur sui iudicis testimonio, non meretur. Nuntii cuiusvis non iurati relationi haud creditur: neque sufficit, nisi vbi receptum est, coram notario, & quasi iurata fide, ipsum de re gesta testari. Meuius iv Dec. 328.

Hæc de citatione subsidiaria: a qua diuersum est alterum subsidii genus, quod in exsequenda re iudicata petitur ac præstatur. Hoc casu, vbi exceptiones opposuerit, contra quem exsequutio petitur: nulla competit rogato iudici cognitio; nisi exceptiones illæ cauissam ipsam non spectent, nec impugnent sententiam. De quibus etenim cognoscendi ius habet, ne temere per exsequutionem iniuria fiat condemnato. Si quid ergo oriatur dubii; ordinarium cauissæ iudicem certiorem faciat. Sicut etiam fas inferiori iudici, & nudo exsequitori sententiaz, vbi periculum est, ne iniuria quis lœdatur, mandanti id referre. Ant. Faber Cod. Sabaud. vii, 20, 1, Berlichius i Conclus. 79, 41 sequ. Meuius Dec. i, 143, & vi Dec. 4, Struuius Exerc. iv, 45.

Citationem *realem* nolunt aliqui agnoscere: quia aliud sit, iuberi quem adesse in iudicio; aliud, ipsum apprehendi ducique. Sed potest omnino tolerari, si intelligatur citatio, quæ fit verbo simul & facto, sive cum apprehensione; non sola apprehensio. Quemadmodum vocatio in ius ordinarie fiebat solis verbis: tunc demum vero iniecta manu, si sponte non iret vocatus. Neque hodie citatus citandusve comprehenditur, nisi aut fugiens aut de fuga suspectus.

Vulgo realis citatio etiam *arestum* appellatur. Significat hoc vocabulum, si pro mere Gallico accipiatur, impedimentum & quasi firmationem in aliquo loco: estque interdictum magistratus, nec res aut persona loco vel statu suo moueat. Ut excedere loco, aut rem auferre non liceat ei, cui ipsi, cuiusque rebus est indictum. Fit autem hoc sine manus iniectione: quod etiam necessarium est in aresto, ut vocatur, *reali*. Interim vulgo in genere dicitur *manuum inieccio*, sive *apprehensio*; & pro ea ipsa quoque usurpari solet. Peckius De iure fistendi, cap. 1, num. 4.

Apparet hinc igitur, si per arestum intelligatur comprehensio & captura hominis, in quantum conueniat cum citatione reali. Quin licet nulla manus reo inferatur, sed tantum prohibetur

tur certo loco excedere: id tamen pariter, ut arestum reale, in Germania effectum habet realis citationis. Eum enim in finem reus ipse, aut res eius detinetur, ut tandem tædio remoræ in iudicio compareat, vel cautionem iudicio sisti & iudicatum solui caueat. Gailius De arestis imperii, cap. I , 15.

Illud iam expediendum est, in quibus causis, & contra quos citatio realis locum habeat. Enim uero quoniam species *exsequutionis* est, nequam ordinarie permittitur. Interim contingit fæpe, ut reus fugiat, aut de fuga sit suspectus, neque satis sit, eum forsitan per procuratorem comparere. Hoc igitur casu, ne iudicium eludatur, ut que sumtibus parcatur, in persequendo reo, & alibi contra eum agendo: potest comprehendendi, in uitusque duci ad iudicem.

De ciuilibus causis id testatur lex x, §. 16 *Quæ in fraud. cred.* Pariter iure Saxonico id obtinebit in causis matrimonialibus: quod in his ex recepta coniuetudine procurator non admittitur. Carpz. Iurispr. confist. 111, 31. De criminibus, poenam corporis merentibus, non est dubium. Præterquam enim, quod bi etiam procuratori non nisi certo respectu locus datur: ordinarie reus aut fugit aut præsumitur fugitus. Atque hinc

F 3 ordi-

ordinarie in his delictis citatio realis dicitur concendi. In aliis locum non inuenit, nisi quando finis magistratus nequit obtineri: exempli gratia, si quis relegandus, & ad iuriandum, quod vrpheadam appellamus, adigendus sit. Aut si quis non habeat, vnde soluatur multa forsan interroganda: nam tunc in carcerem compingi debet. Vide Carpz. Praxi crim. C XI.

De cetero comprehendi potest quilibet reus, cuiuscunque sexus, & dignitatis: modo causa tangi momenti sit; nec queat aliter ius suum cuique, seu priuato, seu ipsi reipublicæ, tribui. Atque in delictis obseruandum est, quod Petrus Theodoricus in Criminalibus monet, cap. IV, 10, 4, & Carpz. d. l. num. 40 & sequ. Præterea nemo detineri debet aresto, nisi contra quem præsto sunt indicia legitima. Alias magistratus, licet de indemnitate caueat accusator, iniuriarum conueniri potest. Quænam vero indicia sufficient, iudex arbitrabitur. Consulantur lex & De custodia &c exhibet. reor. Ordin. Carol. crim. art. 6, 18 & 20, Theodor. d. l. num. 1, Carpz. num. 15 & sequentibus.

Tandem ordinarie requiritur, ut auctoritas mandatumque iudicis, in cuius finibus siue territorio reus deprehenditur, precedat: partim ne-

ale.

aliena turbetur iurisdictio; partim ne citando temere fiat iniuria. Lege 111 C. De exhib. & transm. reis. Accedit, quod hodie, in civilibus quoque caussis, ius vocandi soli magistratui competit.

Contingit interdum tamen, ut periculum in mora sit: quo casu tum in criminalibus, tum in civilibus, nec iussus iudicis, nec apparitores expectari debent; sed reus priuata auctoritate potest apprehendi. In civilibus caussis argumento est laudata lex x §. 16 Quæ in fraud. cred. Quod si reus in ipso criminis, dum id perpetravit, deprehendatur: ideo quoque permissa est priuata captura; quod in notoriis mandatum non requiritur. Denique & extra casum periculi, priuata apprehensio locum habet, vbi id consuetudine aut priuilegio est receptum. Zoësius ad Pand. De in ius voc.

Hæc qualicunque congesta studio, quamvis nihil contineant, quod nemini antehac vel dictum sit vel auditum: obuio tamen sui usi non disiplicitura legentibus confido. Exercendi in academiis ingenii, non ostentandi semper, materia queritur. Habet quoque suam gratiam, collata in unum conspicere, quæ apud varios dispersa: & ipsa fortassis proponendi aut explicandi ratio, interpositumque subinde iudicium, ut non poeniteat lectionis, efficiet.

S V P-

## S V P P L E M E N T V M.

**E**DICTALIS citatio declinari potest, si domestici aut cognati eius, qui citandus est, promittant, se curaturos, ut citatio reo ipsi tradatur. Sic Scabini Hallenses, mensa Aprili anni M DC LXXXIX, contra adulterum fugituum: Es wäre die citatio ad Domum, oder in loco iudicij nicht genug; es wolten denn die Angehörige verschaffen, daß die ergehende Citation dem Ausgetretenen gewiß zu Händen komme, so möchte die Edictal Citation wöl unterlassen werden.

Nisi constet, poenam capitis locum habere: omiso banni processu, ex officio duntaxat inquiritur in crimen, & reus simpliciter per edictum citatur. Hinc formula pronuntiandi: Es hätte zwar der sonst gewöhnliche Achts-Proces nach Gelegenheit des Falls, nicht statt: es werde aber nichts desto weniger mit der Edictal-Citation wider den Ausgetretenen billig verfahren, und inmittelst die Anstalt gemacht, daß ihm von seinen zurückgelassenen Gütern nichts abgesolget werde. Et Scabini Lipsiensis mensa Nouembri M DC XCVII: Daß mit dem gewöhnlichen Achts-Proces wider N. S. zwar nicht zu verfahren, noch dessen Güther noch zur Zeit zu annotiren: Er werde aber nichts destoweniger wegen des ihm beygemessenen Verbrechens auf gewisse Inquisitional-Articul so zu dem Ende abzufassen und zu denen Acten zu bringen, zu antworten, mittelst öffentlichen Anschlags in dreyer unterschiedener Herren Landen sub pena confessi & convicti gebührend vorgeladen. Worauf alsdann ferner ergehe, was recht sey. In rationibus decidi adidere: Dieweil aber dennoch das ihm beygemessene Verbrechen, inmassen es angegeben wird, pro criminis Sodomitico nicht zu achten, und die Todes-Straffe nicht nach sich ziehet, diesem nach der Achts-Proces, und noch zur Zeit die Annotation des Veründgens nicht statt hat: Im übrigen die Leichtfertigkeit und Unflätigey, so S. mit dem Knaben getrieben haben sol, höchststrafbar, er auch deßhalber obangeführter massen, durch der Knaben einstimmige inculpation zur Inquisition zur gnüge grauirt, also damit wider ihn billig zu verfahren, und er weil man nicht weiß, wo er anzutreffen, edictaliter vorzuladen;

denz; So ist von uns gesprochener massen billig erkant warden.

**E**ccl etiam, vbi contra consortes vnius delicti diuersae pronuntiantur, facto discrimine, virum bona habeant in territorio iudicis citantis, an nulla. Nostrates Scabini mense Septembri anni M DC XCIX: Dass zuerst denen Ausgetretenen fleißig nachzutragen/ ob sie erlangt/ und zur gefänglichen Haft gebracht werden möchten. Woferne sie aber nicht zu bekommen/ ist wider dieselbe/ so viel deren unter denen Gräfl. Hohenloischen Gerichten sehaft/ der Achts-Proceß anzustellen/ gegen die übrigen aber mit der Edictal-Citation zu verfahren.

Præterea pro ratione circumstantiarum arbitrio superioris relinquitur, banno an inquisitione, sive sola edictali citatione, velut aduersus absentem agi. Inde formula: Wieder gedachten flüchtigen N. aber ist mit dem Achts-Proceß gehyrnd zu verfahren/ es wolte denn die hohe Landes-Obrigkeit an dessen statt den Edictal-Proceß gelten lassen/ auf solchen Fall würde der selbe billig angefellt. V. R. W.

**R**equisita edictalis citationis probe obseruanda sunt: vt integrum habeat spatium citatus, & publice affixa haerent iusto tempore citationes. Vbi in alterutro peccatum, nequit reus haberi contumax. Scabini nostrates: Würde der dritten Edictal-citation halber/ also sie angeschlagen worden/ zu welcher Zeit es geschehen/ und dass selbige eine vollommene Sächs. Frist gestanden habe/ behyrlige Nachricht zu denen Acten gebracht werden/ inmassen vor allen Dingen von nothen/ so ist peinlich Ausgeklagter/ nach anderweit vorgehender peremtorischer Ladung/ bey Strafe Ungehorsams zu erscheinen/ und voriger Citation Folge zu leisthen schuldig/ worauf so dann ferner ergehet/ was recht ist. V. R. W. Et mense Februarie anni M DC XCVIII Dieveil zur Zeit der Ungehorsams-Beschuldigung am 11 Januarii dieses Jahres die zu Quedlinburg angeschlagen gewesene Edictalcitation, wider des Fiscals Vorgeben fol. 153, keine völlege Sächs. Frist gestanden/ und demnach peinlich Ausgeklagter einem Ungehorsams mit Jug nicht beschuldigt werden können/ auch der Mangel dadurch/ dass gedachte Citation annoch nach verlaufenem Termin/ bis auf den 27 Januarii angeschlagen ges-

wesen/ nicht ersetzt wird/ sondern zu Vermeldung der Nutzität die in denen Rechten dufffalls verordnete Frist eigentlich beobachtet werden muß; So ist peinlich Angeklagter zuförderst nochmals in unterschiedner dreyen Herren Landen Edictaliter, und dergestalt/ daß iede Citation nicht nur eine vollkommene Sächs. Frist in sich enthalte / sondern auch so lange angegeschlagen stehe/ bey Strafe Ungehorsames vorzuladen; Ergehet sodam/ wenn peinlicher Ankläger seine Anklage in Termino gebührender massen wiederholet/ und hiernecht auf Angeklagten auftreibend/ dessen Ungehorsam beschuldiget/ in der Sache ferner was recht ist. B. R. W. Icidem anno M DC LXXXIII, mense Ianuarii: Und wenn von Zeit des Anschlags bis auf den Termin die Citationes an allen dreyen Orthen eine völlige Sächs. Frist darin aber weder der Tag des Anschlags/ noch Termins zu rechnen/ affigt gewesen/ gedachter Anwalt auch Angeklagten Ungehorsams an derweit beschuldiget/ so ergehet darauf ferner was recht ist. B. R. W.

Qua cautione opus sit, aut ut licet, in reali, qua vocatur, citatione, sequens Scabinorum nostrorum sententia declarat, dicta mense Ianuario M DCC. Im Fall auch H. S. G. welcher den Brief geschrieben / und mit seinem Vater in der Irre herum gehet/ in der Stadt oder dem Weichbild wohrzunehmen/ und ihm sonst in der Stille nicht beuzukommen/ daß man ihn mit Mannschaft angreissen müste/ er aber denemienigen/ so ihn auf der Obrigkeit Befehl in Arrest bringen sollen/ mit Geschos/ oder Degen/ wie er auch in seinem Briefe vorgegeben/ sich wiedersehen würde/ haben sich die Abgeschickte des Moderamini's inculpatæ tutela zu gebrauchen/ und so viel möglich dahin zu sehn/ daß weder ihm an seinem Leben einige Gefahr zugezogen/ noch auch ihnen den Abgeschickten etwas dergleichen begegnen möchte. Wiewol auch wen er auf gewöhnliche Weise eingesperret wird/ er von selbst sich wird ergeben/ und die Wiedersehlichkeit die sonst bey dem Angriff nicht unterbleiben dürfste/ einstellen müssen. B. R. W.

Ne quis miretur, pag. xxiv directum census dominum a nobis agnosci: consulat Ordin. judic. E. S. cit. xlvi, §. würde sich. quæque ibi notavit Zieglerus, & in Synt. feud. Struu. ii, 10, 3. 22

FRID.



FRID. HARTMANNO FISCHERO

Nobilissimæ iurisprudentiæ cultori strenuo  
Genere ac fuismet laudibus insigni.

IO. PHILIPPVS SLEVOGTVS

FELICITATEM!

**M**AGNA virtutis incitamenta habes, nobilissime FISCHERE, que te nequamquam patiuntur atatem per otium aut prauas corporis voluptates agere, & humili turba, vel ceteris, qui laudari salua fronte nequeunt, esse similem. Quoties aut nomen cogitas, quod cum multis profiteris; aut propria tibi domestica decora, ut merito crebro facis, circumspicis: illa sane academicis, id est, virtutis ac sapientia meditationis adducta fides; ille Paterne dignitatis ac meritorum, post erupti etiam repentina nimis fata, duraturus splendor, tot fulgentes familia faces, ac praelucentia sidera, pectus tuum non possunt non incendere

G 2

cupidi-

cupiditate ac cura, ne quid vel admittat, iisdem indi-  
 gnum, tibiique opprobrio futurum, aut saltem pænitentia-  
 dum; vel negligas, quod tanta exempla, tot tuorum  
 vota, ac spes de te omnium, intelligis exigere. Itaque  
 ut pares te publicae rei, & industies magis idoneum red-  
 das, quem Principes magni ament, quem suo iungant  
 lateri; omnem colendi ingenii animique occupas occa-  
 sionem, & irreuocabili gradu elabenti incautis, prouide  
 manum iniiciis, addens varie eruditioni, quidquid  
 ciuilis elegantia potest mores exornare. Huc usque in  
 museo & umbra, vel in docentium auditoriis, operatus  
 es optimis artibus scientiisque, cum primis diuini & hu-  
 mani iuris prudentiae, tam ardua quam speciosa. Nunc  
 felicibus auspiciis in cathedram ac medium veluti lucem  
 progrederis, ad certamen pulcherrimum, non infesta  
 quidquam hostilitatis, non cladem ullam, nec cruorem,  
 sed oppugnat a pacatis, & telis innoxius, nec minus for-  
 titer defensa veritatis laudem habiturum. Conflicturus  
 es cum delecta commilitonum manu, non contra leges,  
 seuera sanctione munita; sed instituto, plausibus ac pra-  
 miis perdigno: neque armis, qualia Marti & Aenea  
 apud Maronem in Cyclopum antro, aut Achilli apud  
 Homerum a Vulcano cuduntur; sed qualia in Minerue  
 officina Musis concinnantur. Perge, perge, quo cœpisti  
 cursu, tot argumentis, & tue ipsius indolis preclaro im-  
 petu stimulatus. Quidquid nunc laboris, quidquid mo-  
 lestie

lestia exhauriendum fuerit, honestissima pensabitur voluptate. Suaue tibi erit, instar Sirenum fugisse perniciosas omnes illecebras, neque cum ignavis, et ventri deditis, commercii quidquam habuisse: suaue erit et pulchrum, per tot difficultates infatigabili, euassisse constantia, moxque meritis decorari honoribus: suaue erit et gloriosum, magis magisque efferre caput, ac viris olim, quos non sola plebs suspicit, accenseri. Sanctissimum numen ad futurum credas deuotis sibi et publico egregio conatus, ut quantum in recta, honesta et salutaria generosus fertur animus, feliciter adsequaris. Vale.

**H**eroum soboles raro bona cernitur: at Tu  
Herois Patris es multo dignissimus haeres.  
Qui cathedram Themidos multis cum laudibus  
ornas,  
Mox patriæ decus & plura incrementa daturus.  
Adsistat studiis Deus & bene copta secundet!

Georg Wilhelm Beyer/ M. L.

**A**udit Sacrato Canoni venator Esauus,  
Per multa quoniam labe notatus erat:  
Ast pescatores pietatis laude feruntur,  
Quos modo Scriptura pagina sacra refert.  
Gloria Parnassi nostri, FISCHERE colende,  
Si Te conspicio, nomen et omen habes.

Edis

*Edis enim clarae virtutis pignora clara*

*Piscans in Themidis nocte dieque mari.*

*Hic quam des operam, prestans labor indicat ille,*

*Quem nunc euulgant ære loquace manus.*

*Gratulor ergo Tibi merito de nisibus istis,*

*Ac tanto studio præmia digna precor.*

Philippus Wilhelmus Erlbeck  
de Sinnigen.

**I**Mpullu docto varias FISCHERE per artes

Fert te animus, gressus nec piger ille legit

Doctorum, Magni Genitoris, quiesque beatam

Concessit fedem nomen ad astra poli.

*Piscaris bene, docta probant conamina, perge:*

Fert labor egregius præmia digna sibi.

Felici optatam Themidis contingere metam

Continget cursu hoc. Auguror, idque precor!

Christianus Hartm. a Gülich,  
OPPONENTS.

**Q**ui citus ingenuis vacat artibus, atque disertam

Aonii turbam nocte dieque citat:

Præmia digna capit, pariterque citatur ab illa

Nominis ad famam perpetuamque decus.

En vtrumque TV a hac, Cognate, citatio docta

Testatur! toto pectore plando TIBI.

Frid. Henr. a Gülich. Spir. LL. Stud.

20(20)

Jena, Diss., 1704

ULB Halle  
004 582 462

3



f

56.

VD 18





Centimetres

inches

## Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

B.I.G.

EXTRA  
C I  
D  
RECTORE  
V VILHE  
SEREN  
AC  
IO. PHILI  
CONSIL. SA  
DEC. EIV  
CV  
P V B  
FRID. H  
HER



IE  
TYPIS  
HE